



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta**

**Neuhusii Paderbornae, 1710**

Annus 1620.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29436**

etione B. Virginis , sancti Michaëlis & S. Francisci confirmatur à Paulo V.

Cassoviæ in Hungaria superiori trucidati  
in odium fidei, quod ex pulpito nollent exe-  
crari sanctos, Grodecius, & Pancratius Soc.  
Jesu Sacerdotes.

*ANNO 1620.*

**M**ense Februario Imperator Friderici  
Palatini electionem Bohemicam de-  
clarat irritam. Friderici filius sexennis à Bo-  
hemis declaratur successor regni.

Imperatori mittuntur subSIDIA militum  
& pecuniarum à summo Pontifice, Regibus  
Hispaniæ & Poloniæ.

In Conventu Ulmensi convenit inter  
Maximilianum Bavaram caput exercitus  
Catholici, & Joachimum Ernestum Mar-  
chionem Anspachium Ducem Protestantiū  
Bohemis correspondentium, ne quidquam  
hostile agatur extra Bohemiam , ejusque  
provincias, & Domūs Austriacæ hæreditati-  
rias regiones ; bavarus protestantes Austriæ  
cogit renuntiare fœderi bohemorum , &  
obedire Cæsari. Hujus nomine Elector Saxo-  
niæ occupat Lusatiam , quam postmodùm  
fiduciario jure possidendam accepit.

Am-

Ambrosius Spinola ductor copiarum  
Hispanicarum transmisso Rheno cum exer-  
citu peditum viginti, & equitum quatuor  
millium baccaracum, Crucinacum, Alges-  
hemium, Oppenheimium, aliásque urbes  
ditionis Palatinæ expugnat.

Bethlem Gabor ab aliquibus seditiosis  
Hungaris proclamatur Rex Ungariæ, Au-  
striam incursat, & Palatino auxilia mittit.  
Tampierius Cæsaris Ductor egregius ad  
Posonium, quod insederant Gaboriani, oc-  
ciditur.

Mense Novembri commissum prælium  
illud famosum Pragense, quod cæso Fride-  
rici exercitu Ferdinando Bohemiam imò  
Germaniam asseruit. Dies decretoria pu-  
gnæ fuit Dominica post Pentecosten vige-  
sima secunda, quâ in Evangelio legi solet :  
*Reddite quæ sunt Cæsar is Cæsari, & quæ sunt  
Dei Deo.* Octava Novembr. & Sanctorum  
omnium. Locus pugnæ, mons albus Pragæ  
adsitus. TESSERA militaris Catholicis: *Sancta  
Maria* : curabant in acie Catholicorum  
Bucquoius & Tillius, Duce supremo Ma-  
ximiliano Bavarо. Impressio prima facta à  
Palatinis in Cæsarianos, Duce Anhaltino  
juniore, tam valida, ut legiones nonnullæ

jam nutare , turbatisque ordinibus pedem  
referre inciperent, sed restituta illicò acie à  
**Crazio bavaro Equitum Magistro** dijici-  
tur hostile agmen , capto ipso Anhaltino.  
**Conspectā** Anhaltini clade hostes primò  
turbati , tum in effusissimam fugam con-  
versi præbuêre terga instanti cædentiique  
victori Catholico , cæsa ex hostibus novem  
circiter millia, capti quam plurimi, inter  
quos eminuêre Comes Turrianus junior.  
Saxo Weinmariensis, Rheingravius, Sti-  
rumius & Schlickius, aliquique non pauci ge-  
nere & dignitate conspicui. Erepta signa  
militaria centum cum vexillo Friderici Præ-  
toriano, in quo expressa cœlestis sphæra cum  
hoc elogio : *Divertine scio.* E Cæsarianis  
& bavaricis desiderati, vix ultra ducentos ,  
fauciati centeni. Fructus victoriæ fuit Pra-  
ga, & paulò post recepta bohemia tota. Fri-  
dericus rebus desperatis unà cum uxore &  
liberis fugit in Silesiam , & anno sequente  
ad batavos, ubi privatus vixit.

Sigismundus Rex Poloniæ Varsoviæ co-  
mitia celebrans i 5 Novemb. in ingressu Ec-  
clesiæ à nobili Polono securi bis caput hu-  
merumque percussus, ibique statim vulne-  
ribus obligatis, noluit regredi domum, quin  
prius ad quod venerat, audiret sacrum.

In Valle Telinâ Catholici favore Ducis Feriæ Gubernatoris Mediolanensis, Calvinistis omnibus occisis, totam vallem in suā potestatem redigunt. *Ricciol.*

Ferrariæ die 30 Julii S. Ignatius Lojola infantem septimestrem lapsum ex fenestra alta cubitos 8 ex manibus mulieris incautæ, quæ sanctum invocaverat, suscepit suis manibus, & apparens mulieri restituit. *Bartol.*  
*in vita.*

### ANNVS 1621.

Fuit hic annus virorum illustrium morte celebris. Die 28 Januarii moritur Paulus V. Pontifex maximus, moribus incorruptissimis, & sub quo Roma, quantum potest, reddita melior. Ejus locum implevit die 9 Febr. Alexander Ludovicus Cardinalis & Archiepiscopus bononiensis, & dictus Gregorius XV.

Eodem mense moritur Cosmus Magnus Dux Hettruriæ, cui succedit Ferdinandus decennis filius sub tutela Matris Austriacæ, aviæ Lotharingæ, & patrui Cardinalis Medicæi.

Die 31 Martii obiit Philippus III. Hispaniarum Rex ætatis 45. Regni 23. & locum reliquit Philippo ejusdem nominis IV. an-